

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 171202b

Saturday 02.12.2017

## Letter of the Holy Father to the special envoy to the celebrations of the Dome dedicated to the Most Holy Trinity in the Basilica of the Immaculate Conception in Washington (8 December 2017)

On 7 October the Holy Father Francis appointed His Eminence Cardinal Kevin Joseph Farrell, Prefect of the Dicastery for the Laity, Family and Life, as his special envoy at the inauguration of the Dome dedicated to the Most Holy Trinity in the Basilica of the Immaculate Conception in Washington, National Shrine of the United States of America, scheduled to take place on 8 December 2017.

The mission accompanying the Cardinal will be composed of the following ecclesiastics:

- Rev. Msgr. Vito Buonanno, Director of Pilgrimages of the Basilica of the National Shrine of the Immaculate Conception in Washington D.C.;
- Rev. Msgr. Charles Antonicelli, Episcopal Vicar for Canonical Services-Judicial Vicar of the archdiocese of Washington.

The following is the Letter of the Holy Father to His Eminence Cardinal Kevin Joseph Farrell:

### Letter of the Holy Father

*Venerabili Fratri Nostro  
COËMGENO IOSEPHO S.R.E. Cardinali FARRELL  
Dicasterii pro Laicis, Familia et Vita Praefecto*

Cum animi Nostri gaudio nuper accepimus proximo die VIII mensis Decembris Vashingtoniae aedificationem praeclarae Basilicae Immaculatae Conceptionis BMV sollemni modo ad finem adductum iri. Illo enim die cum magno opere musivo inaugurabitur tholus Sanctissimae Trinitati dicatus, cuius partem Nosmet Ipsi in visitatione Nostra die XXIII mensis Septembris anno MMXV benediximus. Hoc modo sacri Praesules, presbyteri et

christifideles laici Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis gratias omnipotenti Deo agere volunt ob aedificationem Sanctuarii Nationalis, quam catholici Episcopi harum Civitatum anno MCMXX incepterunt, nec non ob tanta beneficia quae superiores per annos toti inibi christianae communitati Ipse largiri est dignatus.

Cum quidem de eventu magni momenti agatur, Venerabilis Frater Noster Donaldus Vellelmus S.R.E. Cardinalis Wuerl, Archiepiscopus Metropolita Vashingtonensis, humanissime Nos rogavit ut aliquem eminentem Virum mitteremus, qui Nostras vices in memorata celebratione gereret Nostramque erga gregem ipsi concreditum et omnes qui in Sanctuarium peregrinantur dilectionem manifestaret. Ad Te autem, Venerabilis Frater Noster, qui aliquando ad clerum Vashingtonensem pertinuisti, episcopalem ordinationem in hoc Sanctuario accepisti atque munus Auxiliaris Vashingtonensis diligenter exercuisti, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad dictam celebrationem, quae in proxima Sollemnitate Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis, caelestis videlicet Patronae Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis, perficietur.

Sollemni ergo praesidebis Eucharistiae atque Pastorem gregis Vashingtonensis aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes sermone tuo ad gratias pro omnibus beneficiis a Deo misericordi acceptis agendas adhortaberis nec non ad diligentem eius praeceptorum observationem, potissimum quod pertinet ad vitae humanae dignitatisque personae propagationem et defensionem. Optamus denique ut cuncti, Redemptoris Matrem inspicientes, “quae toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum praefulget” (*Lumen gentium*, 65), novis viribus novoque caritatis studio peculiarem dilectionem erga Christi Ecclesiam et Evangelium nostra etiam aetate demonstrent atque spirituali assiduitate emineant.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes; a cunctis vicissim preces expostulamus, ut pergrave Petrinum munus diligenter adimpleamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIV mensis Novembris, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS

---